PRAELECTIONES

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM
CAESAREA VILNENSI

A KALENDIS SEPTEMBRIS ANNI MDCCCXIV
AD PRIDIE KAL. IVLII ANNI MDCCCXV.

HABENDAE

INDICUNTUR

A

RECTORE ET SENATU ACADEMICO.



VILNAE
TYPIS JOSEPHI ZAWADZKI
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

I.

PRAELECTIONES PHYSICORUM ET MATHEMATICORUM.

B. STANISLAUS JUNDZIŁŁ Phil. et Theol. D. Reg. Societ. Litt. et Oecon. Vars. nec non Caesar. Societ. Mosquens. Scrutat. naturae Sodalis, Botanices et Zoologiae Prof. P. O. primo tradet Zoologiam universam. Expositis nempe generatim de natura animalium notionibus, institutaque solita divisione in classes et ordines iuxta recentissimas observationes, genera omnia et species singulatim lustrabit, earumque patriam, mores, usus etc. indicabit. Peracto cursu hoc ad Botanicam transibit, ac, praemissa brevi disciplinae huius historia, 1) ad Elementa a se edita exponet Physiologiam vegetabilium; 2) Terminologiam botanicam universalem; 3) instituet criticam variorum systematum analysin, methodum Linneanam prae ceteris scrutaturus; 4) denique ad plantarum, juxta methodum sexualem, indicationem practicam perget, cum Horti Botanici copiis instructus, tum excursiones, quas dicunt, botanicas cum auditoribus suis facturus; diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris, ab hora II ad IV dimidium.

ANDREAS SNIADECKI, Phil. ac Med. Doctor, Collegiorum a Consil. Reg. Soc. Litt. Varsov. Sodalis, Chemiae Prof. P. O. principia Chemiae universae ad Elementa nuper a se edita, novisque demum observationibus ac recentissimis experimentis aucta, in Laboratorio Chemico exponet, diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris ab horae XI dimidio ad XII ordine sequenti. Expositis primis Chemiae universae principiis, exponet primo theoriam ac leges affinitatum; tum tractatum de luce ac calorico; unde doctrinam generalem de fluidis aeriformibus ac de solutione derivabit. Quam expositionem tractatus de corporibus simplicibus seu non-decompositis, tam solidis quam aeriformibus, in specie excipiet. Ex proprietatibus vero gas oxygenii theoriam combustionis deducet; qua exposita mox aget de corporibus combustis, quae in oxyda acidaque perfecta et imperfecta dividet, eorumque proprietates singulatim indicabit. Dein de acido muriatico simplici oxygenato ac superoxygenato disseret, recentissimasque de eorundem natura opiniones scrutabitur. Si-

mili ratione naturam alcalium ac terrarum examinabit, recentioraque experimenta, quae ea oxydis metallicis adnumerare suadent, enucleabit. Quibus absolutis, immorabitur aliquantum doctrinae de corporibus salinis, historiamque ac proprietates metallorum uberius exponet. Postremo Chemiam substantiarum organicarum aggredietur, expositisque generalibus principiis, de earundem analysi, differentiis, qualitatibus, usuque technico, oeconomico ac medico fusius disseret.

THOMAS ŻYCKI Phil. D. Matheseos Prof. P. O. diebus Lunae et Iovis ab horae VIII matutinae dimidio ad IX, diebus vero Martis et Veneris a IX ad XI dimidium docebit 1) Algebram includendo omnes ejus partes: ubi non solum cum simplicibus, sed etiam cum exponentialibus, radicalibus et imaginariis quantitatibus omnes operationes: determinatae, indeterminatae atque superiorum graduum aequationes, series recurrentes, fractiones continuae, functiones transcendentes, logarithmi, alterumque etiam transcendentium genus Arcus circuli, simulque modi tabulas tam logarithmicas quam trigonometricas condendi, locum habebunt. 2) Applicatio eiusdem Algebrae ad lineas curvas, praecipue ad lineas secundi ordinis, sectionum conicarum nomine insignitas, ad alias etiam lineas transcendentes, instituetur. Imo praeter differentialem, integralem et variationum calculum, alteram Matheseos sectionem constituentem, quod solummodo ad perfectum absolutumque Matheseos purae cursum pertineret, nihil omittendum curabit.

ZACHARIAS NIEMCZEWSKI Phil. D. Societ. Ital. Sodalis, Matheseos sublimioris applicatae Prof. P. O. diebus Martis, Mercurii, Veneris et Saturni ab horae VIII dimidio ad IX, exponet principia Calculi differentialis, nec non regulas differentiandi omnes functiones unius vel plurium variabilium tradet, atque usum ejusdem in inveniendis maximis et minimis quantitatibus functionum unius vel duarum variabilium, in investigandis proprietatibus Curvarum superiorum ordinum, demonstrabit. Absoluto calculo differentiali, perget ad Calculum integralem, ubi tractabit 1) de integratione functionum unius variabilis, qualescunque hae sint functiones, commensurabiles, incommensurabiles, integrae aut fractae, algebraicae vel transcendentes; 2) de integratione aequationum differentialium omnium ordinum, ubi agetur praecipue de separatione variabilium, de inveniendo factore, ope cuius aequatio differentialis in nonnullis casibus fit integrabilis; de solutionibus particularibus; 3) de integratione differentialium partialium omnium ordinum. Denique explicabit methodum Variationum, cuius latissimus est usus in Mechanica coelesti et analytica. Peracto iam cursu Cal-

culi differentialis et integralis, tradet Mechanicam, ubi leges aequilibrii, parallelograma virium ac leges motus ope analyseos exponet.

CAIETANUS KRASSOWSKI Phil. D. diebus Lunae, Mercurii, Iovis et Saturni, ab hora IX ad XImae dimidium, cursum Physicae generalis explicaturus, praemissis notionibus de generalibus corporum proprietatibus, statim perget ad expositionem Staticae liquidorum in genere: quibus absolutis sequentur tractatus de Calorico, Aqua, Aere, Electricitate et Magnetismo: tum ultimo loco veniet doctrina de Luce, quam per singulas eius partes accurate exponendo, Physices hunc cursum conficiet.

FELIX DRZEWINSKI Ph. D. cursum Mineralogiae traditurus die Solis ab hora II ad IV pomer. diebus autem Merc. et Sat. ab horae III dimidio ad IV pomer. enarrata breviter scientiae huius historia, indicabit characteres fossilium, disseret de characteribus externis, exponet methodum Wernerianam designandi formas crystallorum. Porro explicabit systemata mineralogica Cl. VV. Werneri et Haüy, atque ad indicanda fossilia simplicia accedet, percensebitque secundum systema Wernerianum cuiuslibet characteres externos et chemicos, situm in terra, utilitates et nomina, quibus a celeberrimis Mineralogiae magistris insigniuntur, ac perfecta omnium specierum exemplaria monstrabit. Finita Oryctognosia, perget ad Geognosiam, et Wernerianum systema passim secuturus, describet classes atque species petrarum, simulque componentes earumdem partes enarrabit. Exponet deinde formas, in quibus magnae fossilium moles reperiri solent, nempe strata, venas etc. fossilium, atque opiniones recentiorum mineralogorum, quoad eorum formationem, indicabit. Postremo aget de petrificationibus, ostendetque ubi illae reperiuntur, cur organica corpora inter fossilia miscentur, et quomodo indurescunt? Totum Mineralogiae cursum tradet duce Cl. Brochant, multas tamen suppeditabunt notiones praestantissima opera Cell. VV. Haüy, Brongniart, Severgin et Fischer.

VINCENTIUS KARCZEWSKI Phil. Mag. diebus Mart. et Vener. ab horae X dimidio ad XI introductionem in studium Astronomiae tradet: quae comprehendet 1) Trigonometriam sphaericam, ubi proprietates triangulorum sphaericorum, eorumque quoad omnes casus solutionem in formulis analyticis, cum earum demonstrationibus, exponet. 2) Originem, proprietates et usum circulorum in sphaera coelesti percurret, methodumque determinandi positiones corporum coelestium ad eosdem circulos relatorum explanabit. 3) Disseret de refractione astronomica et Paralaxi, Systemaque Solare mundi enodabit. Deinde brevem et succinctam Astronomiae historiam tradet, ubi scientiae

huius progressum, fata et vicissitudines apud Chaldaeos, Aegyptios et Graecos, usque ad interitum Scholae Alexandrinae, enarrabit.

Diebus Mart. Iov. et Sat. ab horae XI dimidio ad XII Topographia tradetur, methodusque delineandarum geometrice positionum ad usus civiles, oeconomicos et militares accomodata, exponetur a Magistro ad hoc munus designato.

II.

PRAELECTIONES MEDICORUM.

IOANNES ANDREAS LOBENWEIN Med. et Chir. Doctor, Coll. a Consil. Caes. Acad. Scient. Petrop. Collegii Praefectorum rei medicae et Caes. Acad. Medico-Chirurg. Petrop. Sodalis, Ordinis huius Decanus, Anatomiae humanae et Medicinae forensis Prof. P. O. dum redux Vilnam fuerit, praelectiones in Anatomiam et Medicinam forensem instituet diebus et horis designandis.

AUGUSTUS BECU Phil. et Med. D. a Cons. Aul. Ordinis S. Vladimiri IV cl. Eques, Reg. Soc. Vars. et Jenner. Londin. Sodalis, Pathologiae et Hygienae Prof. P. O. diebus Lun. Merc. Jov. et Sat. ab hora IX usque ad XI dimidium, exponet cursum Pathologiae generalis et specialis sua Elementa secuturus; quo non interrupto, mensibus aestivis, diebus et horis serius designandis, praemissa Anatomia et Physiologia populari, Hygienam docebit, Clericorum Seminarii Vilnensis usibus praecipue accomodatam, cui Politiae medicae capita nonnulla, quantum in eorum rem fuerit, subiunget.

FERDINANDUS SPITZNAGEL Med. et Chir. D. Colleg. a Consil. Caes. Soc. Mosqu. Scrut. Nat. Sodalis, Therapiae generalis et Materiae Medicae Prof. P. O. diebus Lun. Mart. Jov. et Vener. ab horae XI matut. dimidio usque ad XII. Cursum praelectionum incipiet a Therapia generali, quacum Materiam generalem et Pharmacocatagraphologiam seu methodum formulas medicas praescribendi, coniunget. His absolutis, in Materia medica speciali docebit singula corpora medica plus minus usitata, fusius vero interpretabitur illa, quae in potioribus Europae Pharmaciis, maxime vero illa, quae in Pharmacopoea Rossica et Pharmacopoeia castrensi Ruthenica asservata prostant. Cursum absolvet Toxicologia seu cognitio venenorum: illorum noxa, antidota, et si quis est illorum usus medicus, indicabitur.

JOSEPHUS FRANK Phil. et Med. D. Coll. a Consil. Collegii Praefectorum rei medicae Sodalis, Ord. S. Vladimiri IV cl.

Eques, Therapiae Specialis et Clinices Prof. P. O. quotidie ab horae IX dimidio ad X dimidium, in Nosocomio Clinico doctrinam Medicam curandis morbis adaptabit, tradetque sexies per hebdomadam ab horae X dimidio ad XI dimidium, ad praecepta sua Praxeos medicae, eam Therapiae specialis partem, quae ad morbos oris, oesophagi, viscerum abdominalium, uropojieticorum et partium genitalium spectat. Neque deerit clinicis occupationibus in nosocomio hora V ad VI vespert. observandis.

JOANNES FRIDERICUS NISZKOWSKI Med. et Chir. D. Schol. Med. Parisiensis et Montispessul. nec non Societ. Ital. Sodalis, Chirurgiae Prof. P. O. diebus Lun. Mart. Iov. et Vener. ab horae III dimidio ad IV tractabit de morbis externis, iis praecipue, in quibus persanandis dextra Chirurgi manus requiritur. Quocirca et operationes chirurgicas in subiectis mortuis aut etiam vivis sub tironum oculis demonstrabit, et eorum manum ad necessariam pro omni chirurgo encheiresin moderabitur. Tempore aestivo exponet doctrinam de morbis ossium, a causis tam externis quam internis oriundis, cui subiunget tractatum de fasciis et usitatissimis machinis, quae vel ad reponenda ossa luxata, vel ad consolidanda fracta, vel denique ad curanda membra tortuosa, proponuntur. Praeterea quotidie ab horae VIII matut. dimidio usque ad IX dimidium et hora VI vespertina, non deerit practicis in Clinico chirurgico exercitiis, ubi provectiorum in arte operationes chirurgicas et curam aegrorum peculiari instructione moderabitur.

ANDREAS MATUSEWICZ Phil. et Med. D. Artis Obstetriciae Prof. P. O. eiusdem Artis cursum theoretico-practicum peraget diebus Martis et Vener. ab hora IX usque ad X et dimidium coram feminis obstetricibus; diebus autem Mercur. et Sat. ab horae VIII dimidio usque ad IX coram viris. Quod attinet clinicas exercitationes in Instituto Obstetricio suscipiendas, his non solum omni data occasione non deerit, sed ad conservandum quoque illarum ordinem, tempus pro quotidiana visitatione ab horae XI dimidio ad XII indicat.

LUDOVICUS HENRICUS BOIANUS Med. et Chir. D. Ord. S. Vladimiri IV cl. Eques, Caes. Acad. Scient. Petropolit. Acad. Medico-Chirurg. Petrop. Societ. nat. curios. Mosqu. Medicor. Paris. et Londin. aliarumque Soc. lit. Sodalis, Veterinariae Medicinae et Anatomiae comparatae Prof. P. O. 1) diebus Lun. Mart. Jov. et Ven. ab horae II dimidio ad III universam disciplinam veterinariam tradet, habita sedula ratione similitudinis, quae ei cum hominis medicina intercedit. In epizooticis morbis explicandis libri a se editi principia secuturus, in reliquis sua Elementa idoneo tempore typis vulganda. 2) Diebus Merc. et Sat. iisdem

horis, instituet lectiones et demonstrationes Anatomiae comparatae ita, ut praemissa introductione, a structura Zoophytorum inchoata et per reliquas animalium classes, utpote Insectorum, Molluscorum, Crustaceorum, Vermium, Piscium, Reptilium atque Avium continuata, de Mammalibus demum dicat et fusius paulo de praecipuis domesticis animalibus. In quibus omnibus rebus exponendis ea potissimum est spectaturus, quae ad illustrandam Historiam naturalem atque Physiologiam faciunt, vel ad perpetuum totius regni animalis cum fabrica humani corporis nexum demonstrandum. 3) Laboribus a veterinario, ipsis dicato, suscipiendis, in Instituto practico veterinario continuo moderamine praeerit.

JOANNES WOLFFGANG Phil. D. Coll. Asses. Reg. Soc. Oecon. Vars. Sodalis, Pharmacologiae et Pharmaciae Prof. P. Extraord. diebus Lun. Mercur. et Jov. ab hora II pomeridiana ad IV dimidium, tractabit doctrinam de pharmacis simplicibus seu Pharmacologiam, in qua cuiuslibet producti naturalis ad usum medicum destinati exponet characteres, indolem, patriam, tempus et rationem acquirendi vel colligendi, nec non conservandi; atque his omnibus adiunget criteria, quorum ope medicamenta bonae notae ab adulteratis, corruptis et falsis distinguere licet. In doctrina de medicamentis compositis seu Pharmacia, expositis imprimis iis omnibus conditionibus et regulis, quae ad Imperii leges, vel expeditionem formularum a medicis praescriptarum, vel calculi artem in pharmacopoliis tenendam, vel denique ipsos pharmacopoeos proxime spectant; describet cuiuslibet in specie praeparati pharmaco-chemici normam praeparandi, operationes pharmaceuticas in laboratorio coram auditoribus instituet, theoriam earum et singulas proprietates tam physicas quam chemicas docebit, ut omni in casu bona indoles dati pharmaci, vel circa illud fraus commissa, ope reagentium detegi possit.

NICOLAUS MIANOWSKI Phil. Med. et Chir. D. Reg. Soc. Oecon. Vars. Sodalis, Universitatis Adiunctus, diebus Jov. et Ven. ab hora VIII ad IX duce Libro Prof. Andreae Sniadecki explicabit Physicam corporum organicorum in genere, et hac terminata, exponet Physicam organismi humani seu Physiologiam hominis in specie. Idem usque ad reditum Prof. Lobenwein Anatomiam hum. bis per hebdomadam docebit.

VINCENTIUS HERBERSKI Med. D. Universit. Adiunctus, laboribus studiosorum in nosocomio clinico, qua Adiutor Professoris Clinices, proximam curam impendet.

ANTONIUS KIERSNOWSKI Med. Cand. Anat. Prosector, repetitiones anatomicas instituet diebus Lun. Mart. et Jovis post meridiem ab horae III dimidio ad h. IV

dimidium; diebus autem Mart. Mercur. Jov. et Satur. ab hora IV usque ad VI vespert. studiosorum operam in dissectionum anatomicarum exercitiis moderabitur.

III.

PRAELECTIONES IN ORDINE PROFESSORUM SCIENTIARUM MORALIUM ET POLITICARUM.

IOANNES HENRICUS ABICHT Phil. D. et Prof. P. O. quotidie, excepta die Solis, ab hora IV ad V et dimidium usque, praelectiones suas ita habebit, ut introductione in universam Philosophiam absoluta, Psychologiae partem I, de animae viribus earumque legibus disserentem, ex libro suo „Initia Philosophiae proprie sic dictae" explanaturus sit. Quo facto, tribus quaque septimana diebus 1) alteram Psychologiae partem tradet, ideoque ostendet, quibus limitibus mens suapte iam natura circumscripta sit in rebus in se spectatis et vere cognoscendis; simul igitur et decreta illa, quae Idealismum et Realismum vocant, ad trutinam vocabit. Quibus et illas Psychologiae partes adjiciet, quarum duae exponunt, quas sibi notiones mens, duce natura sua, tam de Ente, mundi tanquam elemento, quam de Mundo ipso informare debeat; tertia vero quaedam animae perennia demonstrat; atque hanc demum Theologiae et naturalis Religionis examen excipiet. 2) Aliis autem tribus cuiusque hebdomadis diebus Anthropologiam, quae in origines animae statuum, horumque coniunctiones et signa inquirit, explicabit. Nec etiam negliget, si quid temporis reliquum dabitur, aliquot sectiones libri Cell. Gedicke: M. T. Ciceronis Historia Philosophiae antiquae inscripti, auditoribus suis exhibere.

SIMON MALEWSKI Phil. et Iur. Civ. D. Colleg. a Cons. Ordinis huius Decanus, Iuris Naturae et Gentium Prof. P. O. diebus Martis, Iovis et Satur. ab horae VIII matut. dimidio ad IX, Mercurii autem et Veneris diebus ab hora VIII ad IX docebit Ius naturae, Ius naturale politicum et Ius naturale gentium: explanaturus his tractatibus ea omnia, quibus societates humanae, civiles et politicae, stabiliuntur; speciatim vero immorabitur deducendis principiis iustitiae atque obligationum socialium: ducibus Compendiis Godofredi Achenwall latino et Hieronymi Stroynowski vernaculo sermone ad usum auditorum typis vulgatis, quibus celebriorum auctorum placita subiunget.

ALOYSIUS CAPPELLI Phil. et I. U. D. Iuris Civilis et Poenalis veterum et recentiorum celebriorum Gentium Prof. P. O. diebus Veneris et Saturni ab horae XI dimidio usque ad XII, Systema Iuris Poenalis, diebus autem Lunae, Martis et Mercurii hora XI-XII Ius Iustinianeum exponet, simulque indicabit loca, in quibus Romanorum leges Ius Canonicum correxit atque immutavit.

IOANNES IOANNIDES CZERNIAWSKI Phil. D. Linguae, Litteraturae et Historiae Rossicae Prof. P. O. praemissa, quam veteres de populis plagisque Septentrionalibus, iis maxime qui Imperio Rossico nunc subiecti sunt, habuere, notitia, indicatisque gentibus, quae huius Imperii regiones ante adventum Rurici incoluere, una cum geographica tam prisci quam hodierni status Imperii brevi descriptione; Historiam Rossicam ordine enarrabit, quum Nestore duce, tum posteriores annales, exteros etiam, si qui fide digni videbuntur, Scriptores secuturus, et quidem bis per hebdomadem diebus ac horis serius indicandis.

IOANNES CANTIUS CHODANI Theol. D. Theologiae Moralis ac Pastoralis Prof. P. O. diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Satur. ab hora IX ad X et dimidium officia Christiani ad alios homines relata, nec non officia hypothetica societatum domesticae, civilis et ecclesiasticae, ac officia in diversis circumstantiis, statibus ac nexu cum aliis, homini incumbentia enarrabit; tum de mediis Christianae virtutis generalibus, legitimoque eorum usu ac Christiana perfectione tractabit.

Lectiones exegeticae S. Scripturae pariter atque Theologiae dogmaticae et Historiae Ecclesiasticae, interea dum invenientur Professores, qui cathedras has nunc vacantes obtineant, a Theologiae Doctoribus et Magistris, quos Senatus Academicus ad id munus obeundum delegit, habebuntur diebus et horis designandis.

IOANNES ZNOSKO Phil. D. Reg. Societ. Litter. Varsov. Sodalis, a Consil. Aul. et Universitatis a Litteris, diebus Martis et Veneris, ab hora IX ad X et dimidium tradet Oeconomiam politicam, ad Compendium vernaculo sermone a se vulgatum, Theoriam Adami Smith potissimum secuturus, eamque adiectis recentiorum in hac scientia scriptorum opinionibus, ac disquisitione diversorum in ea pertractanda systematum, illustraturus.

SIMON FELIX ŻUKOWSKI Universitatis Adiunctus, diebus Martis et Iovis ab horae VI dimidio ad VII pomerid. Linguae hebraicae praecepta tradet; explicabit Chrestomathiam Vateri, Vilnae recusam, et totius Libri Geneseos criticam instituet interpretationem. Praeterea tradet Archaeologiam Biblicam seu doctrinam Antiquitatum Hebraicarum, duce Ioanne Iahn.

IV.

PRAELECTIONES IN ORDINE PROFESSORUM LITTERATURAE ET ARTIUM ELEGANTIORUM.

EUSEBIUS SŁOWACKI Eloquentiae et Poeseos Prof. P. O. diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris ab horae IV dimidio ad V primo Aestheticam seu doctrinam ex Philosophia Pulchri in scientias et artes amoeniores deductam, tractabit. Praemissis dein elementis Grammatices universalis, disseret de arte bene dicendi et scribendi, totamque disciplinam elocutionis oratoriae, ad ductum scripti sui, explanabit. Peracto hoc cursu theoriam Poeseos, postremo vero Eloquentiae tradet: et varia earum amoeniorum scientiarum genera pertractaturus, hirum historiam litterariam cum critica clariorum auctorum, qui vernaculo sermone scripserunt, uberius expromet.

GODOFREDUS ERNESTUS GRODDECK Phil. D. Societ. Reg. Goetting. Corresp. Linguae et Litterarum Graecarum et Romanarum Prof. P. O. in Graecis scholis quater per hebd. hora XI - XII ex Odyssea novem deinceps libros quartum excipientes, et Platonis dialogum qui Menexenus inscribitur, suis curis propediem vulgandum, enarrabit; bis Mercurii et Saturni diebus, hora eadem, Historiae Graecorum litterariae Elementa sua tradet et explanabit. In Latinis, quater per hebd. hora II-III Lyrica Carmina Horatii et Ciceronis Brutum s. de claris oratoribus libellum exponet; bis Mercurii item et Saturni diebus, Antiquitates Romanas, ad Tabulae quam edidit ductum, eadem hora docebit. Exercitationes philologicas binis per hebd. horis moderari perget.

IOANNES IOANNIDES CZERNIAWSKI Phil. D. Linguae, Litteraturae ac Historiae Rossicae Prof. P. O. quotidie, Solis diebus exceptis, ab hora X matutina ad XI Grammaticam Litterasque Rossicas tradet. Lectiones suas auspicabitur a disputatione de litterarum, artium ac doctrinarum in Imperio Rossico origine ac progressu, deque rebus quae incrementis earum vel profuere, vel obstitere. Docebit hinc Linguae Rossicae indolem ac praecepta. Deinde variis eloquentiae ac poeseos generibus horumque praeceptis breviter expositis, recensebit Rossicos auctores, qui in quovis genere inclaruere; nonnullorumque scripta, aut universa, aut selecta ex iis capita, enarrabit. Denique auditorum conamina in vertendis scriptorum locis ex Rossica Lingua in Polonicam et vicissim, moderabitur.

IOSEPHUS SAUNDERS Caes. Acad. Art. Petrop. et Reg. Stockholm. Sodalis, Chalcographiae, Artium Elegan-

tiorum Litteraturae ac Litterarum Anglicarum Prof. P. O. Lunae et Veneris diebus ab hora IV ad V et dimidium, praemissa vocabulorum in artibus tradendis receptorum explicatione, Gallo-Francorum utens sermone, Artium Liberalium disquiret initia, incrementa, florem, vicissitudines, interitum, primo apud veteres populos, maxime apud Indos, Hebraeos, Aegyptios, Persos, Etruscos, Graecos, Romanos, tum renata earum studia in Italia, et quae mox ibi exstiterunt, scholas diversas; porro Artium indolem atque fata in Germania, Belgio, Hollandia, Gallia, Hispaniis, Anglia, Dania, Svecia, Polonia et Rossia persequetur: deinde singularum Artium, ut Sculpturae, Picturae, Chalcographiae, vim ad humanitatis, morum, vitaeque cultum declarabit, variosque usus indicabit, quos politicae, rerum commerciis, historiae, litterarum studis, omnino illae adferre putandae sint; postremo disseret de iis, quae in optimo ipsarum Artium cultore desiderantur, deque vi, quam in easdem diversi coeli tractus exercent. 2) Martis et Iovis diebus itidem ab hora IV ad V et dimidium, nunc Francogallorum nunc Anglorum vicissim lingua utens, Litteraturae Anglicae cursum persequetur, ac primo History of Lorenzo de Medicis by Roscoe, et History of Greece by Gillies; deinde vero Elegy in a Country-church Yard by Gray, Messiah by Pope, Paradise lost by Milton explicabit. 3) Artis Chalcographicae studiosorum exercitationes reget quotidie, Solis diebus exceptis, ab hora VIII matut. usque ad meridiem.

ALOYSIUS CAPPELLI Phil. et J. U. D. Ordinis huius Decanus, Iuris Civ. et Crim. nec non Linguae et Litterarum Italicarum Prof. P. O. diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora V-VI pomerid. cursum Litteraturae Italicae a saeculo Dantis et Petrarchae ordietur, eumque ad florentissima usque Mediceae Familiae tempora, cl. Tiraboschi duce, continuabit. Tirones vero, cum regulas linguae Italicae docuerit, interpretandis excellentium poetarum locis, ad Delectum suum nuper typis expressum, exercebit.

JOANNES RUSTEM a Cons. aul. Artis delineandi Prof. P. E. omnibus diebus per hebdomadem, ab hora V vespertina ad VII regulas Artis dilineandi tradet et explicabit; ad lampadis quoque lucem discipulos tam ex antiquis quam anatomicis figuris, deinde de vivo exemplari, formas ducere exercebit.

SIMON FELIX ŻUKOWSKI Universitatis Adiunctus, diebus Lunae et Mercurii ab hora VI dimidio ad VII pomeridianam, Grammatices Graeci sermonis expositioni subiunget interpretationem Chrestomathiae Jacobsii. Praeterea Luciani libellos duos, qui inscribuntur de merce-

de conductis et Rhetorum praeceptor interpretabitur. Idem Archaeologiam graecam praecipue Atticam, anno elapso coeptam, exponet.

JOANNES PINABEL a Cons. Aul. Univers. Adiunctus, Linguae Gallo-Francorum Elementa ac humaniores eiusdem Litteras docebit, diebus et horis post reditum ipsius designandis.

BENIAMIN HAUSTEIN Univers. Adiunctus, diebus Lunae et Mercurii, ab horae IV dimidio ad V. Linguae Germanicae praecepta tradet; Vener. autem die, eadem hora, historiam Poeseos et Scriptorum Germanorum, qui excelluere, exponet. Idem diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. V-VI Elementa Linguae Anglicae docebit, Excerptis Anglicis utens a se recens editis.

JOANNES DAVID HOLLAND Lun. Merc. et Vener. diebus h. III-IV Musices veteris et recentioris disciplinam tradet, doctrinamque de sonorum numeris (Contrapunct), de diversorum intervallorum usu, de sonorum figuris totis et dimidiatis (Cadences), de siglis continuis (General-Bass) et de compositione musica exponet.

Artes Gymnasticas, cum saltationis, tum rudibus vel pugnatoriis armis batuendi, publice docebunt harum Artium Magistri, diebus et horis designandis.

Bibliothecam Academicam aperient diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora III-V Godofr. Ern. Groddeck Bibliothecae Acad. Praefectus, Custodesque Bibliothecae Acad. Casimirus Kontrym Asses. Coll. et Simon Felix Żukowski, Universitatis Adiuncti.



